

DISPUTATIO V.

DE CHARITATE.

CAPUT I.

DE NATURA ET OBJECTO CHARITATIS.

ARTICULUS I.

QUENAM SIT NOTIO ET NATURA CHARITATIS THEOLOGICÆ?

274. Nota I. Amor, nisi pro mera complacentia sumatur, est affectus quo quis alicui bene seu bonum vult. Juxta S. TH. 2. 2. q. 23. a. 1. in 0., triplex est, scilicet amor concupiscentiæ, quo quis alicui bene vult sui gratia, seu in gratiam amantis: amor benevolentiæ, quo quis alicui bene vult ipsius gratia, seu in gratiam amati: amor amicitiae, qui est idem cum amore benevolentiae, sed præterea respicit etiam amicum seu amati erga se benevolentiam. Amicitia a TULLIO, quem citat. S. AUG. L. 3. cont. Acad. c. 6. et in ep. 155. ad Marthian. (al. 258. n. 1.) definitur, rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate consensus; describitur amicitia per condiciones: 1ª. est mutua benevolentia; 2ª mutuae hujus benevolentiae notitia; 3ª. communio seu mutua bonorum communicatio. Familiaritas et consuetudo videntur tantum exigi ad certius habendam benevolentiae mutuae notitiam; unde illa non impedita etiam inter absentes et dissitos a se invicem amicitia colitur: singularitas desideratur ob bonorum communionem non diminuendam; ideoque subjectum utrinque limitatum supponit, nec universalis est: æqualitas vel tantum postulatur ad amicitiam quæ sit inter omnino pares, vel exigit æqualitatem duntaxat imperfectam et proportionalem.

275. Nota II. Dari amicitiam proportionis Deum inter et hominem justum, facile ostenditur tum ex Sap. 7. 14., ubi de Sapientia dicitur: Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei; tum ex effectu formali gratiæ habitualis in Tr. de Gr. Præterea dari amorem amicitiae in Deo ad hominem justum, et hominis justii ad Deum; constat etiam ex conditionibus ad amicitiam requisitis. Nam 1ª. Deus quidem vult homini justo bonum non propter suam, sed propter illius bonitatem; quia affectus ad proprium commodum locum non habet in Deo, utpote cui, proprie



loquendo, utilis non est, nec quem beatiorem facit illa gloria extrinseca; justus vero, qui ex charitate Deum diligit, vult bonum Dei, quia ejus bonum est, absque ullo respectu ad propriam utilitatem. 2°. Hæc mutua benevolentia Deo quidem constat certo et infallibiliter; homini vero benevolentia Dei erga se reciproca constat tantum *probabiliter*, quod sufficit; gratuita autem etiam certo et infallibiliter. 3°. Deus homini communicat bona tum naturalia tum supernaturalia: justus vero tum refundit in Deum omnia, quæ ab illo acceperat, juxta illud 1. Paral. 29. 14. *Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*; tum pro bonis illis reddit Deo gratiarum actionem, laudem, honorem et obsequia. Neque, si quis cæteras conditiones exigat, deest huic amicitiae æqualitas geometrica seu proportionis; cum justus sit filius Dei adoptivus et naturæ divinæ particeps: neque familiaritas et consuetudo; cum justorum ex ep. ad Philip. 3. 20. *conversatio in caelis est*, et Joan. 14. 23. Christus dixerit: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*: neque amicitia Dei pluribus communicata aliquid singularitati detrahit; cum Deus sicut mare, dum tribuit, non deficit, sed abundat: porro charitatem hominis necdum justificati esse posse amorem amicitiae ad Deum, ex præmissis inferre licet; quia licet ejusmodi amans necdum redametur a Deo amore *reciproco*, nec jam sit Dei amicus, tamen præventus est amore Dei *gratuito*, et per hunc ipsum amorem meretur gratiam sanctificantem, qua formaliter constituitur amicus Dei.

276. *Dico I.* Charitas *actualis* est amor, quo Deum propter se et cætera propter Deum diligimus.

Explic. Dicitur 1°. *amor, quo diligimus*; quia charitas secundum D. Thom. hic q. 27. a. 2. in 0. *importat unionem affectus, in quantum scilicet amans aestimat amatum quodammodo ut unum sibi vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum*. 2°. *Deum et cætera*; quia Deus est objectum materiale charitatis primum, et summo amore dignum: præter illum tamen sunt etiam alia, quæ diligere possumus et debemus. 3°. *Propter se, propter ipsum*, h. e. propter bonitatem Dei absolutam, nulla prorsus habita ratione proprii nostri commodi; quia per hoc tum attingit immediate Deum tanquam objectum formale quod, et acquirit rationem actus theologici; tum discernit se ab amore *spei*, quæ a bonitate Dei respectiva movetur, et rationem proprii commodi habet.

277. *Dico II.* Charitas *actualis perfecta* non est amor simplicis benevolentiae, sed amicitiae. Ita D. Thom. q. 23. cit. a. 1. in 0. Unde manifestum est, quod charitas amicitia quædam est ad Deum.

Prob. Non est perfectior vitæ hujus charitas, quam qua justii diligunt Deum: sed charitas justorum est amor amicitiae; ergo. *Conf.* Charitas perfecta est, quæ nititur fide ad salutem necessaria, et est justificativa: sed hujusmodi charitas est amor amicitiae; ergo.

278. *Dico III.* Charitas *habitualis* est virtus per se infusa, disponens et elevans voluntatem ad actus charitatis proxime descriptos eliciendos.

Explic. Dicitur 1°. *virtus*; tum quia non est ipse Spiritus sanctus, qui fuit error MAGISTRI SENT., sed donum aliquod creatum; tum quia habentem

se facit simpliciter bonum, cum aliæ virtutes faciant bonum dumtaxat ex parte, juxta illud Aug. Tr. 7. in 1. Joan. n. 6. *Habere nomen Christi, et malus potest... habere autem charitatem, et malus esse, non potest*: tum quia charitas est virtutum theologiarum præstantissima, secundum illud 1. ad Cor. 13. 13.: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas*. 2°. *Per se infusa*; tum quia charitas est virtus theologica, theologica est supernaturalis, supernaturalis autem virtus est per se infusa: tum quia Paulus ad Rom. 5. 5. ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; et TRIN. Sess. 6. cap. 7. cum Apostoli testimonium recitasset, subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem*. 3°. *Elevans voluntatem*; quia, cum charitas nos maxime jungat cum Deo, secundum illud 1. Joan. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, per eandem voluntas elevatur. 4°. *Disponens ad actus charitatis eliciendos*; tum quia ex 1. Joan. 5. 8. *Hæc est charitas, ut mandata ejus custodiamus*; tum quia sicut reliquæ virtutes theologice disponunt ad actus suos, sic et charitas idem præstat respectu amoris, quo Deum propter ipsum diligimus.

279. *Observe.* Cum ad perfectionem virtutis theologice *universim* requiratur, ut quælibet sit appetitive perfecta, et adhæreat Deo super omnia; multo id magis intelligendum est de *charitate* tanquam inter reliquas præstantissima, et quæ nos nostraque omnia ad Deum refert. Est autem triplex in hac perfectione gradus. *Primus*, cum Deus propter se diligitur super alia bona, quæ obtineri aut retineri nequeunt sine gravi Dei offensa; ita ut homo diligens Deum malit bonis illis carere, quam contra voluntatem aut legem Dei graviter obligantem obtinere vel retinere: hic gradus, cum excludat omnem affectum ad peccatum mortale, *sufficit et necessarius* est ad salutem. *Secundus*, cum Deus propter se diligitur super omnia, non solum graviter sed et leviter displicentia, ita ut homo paratus sit potius carere quolibet bono, vel pati quodlibet malum, quam Deum leviter offendere: hic gradus, quamvis *necessarius sit ad perfectionem christianam*, necessarius tamen non est ad *salutem*; cum non cadat sub præceptum sub mortali nos obligans suo tempore, et venialia peccata etiam vitare possimus ex motivo aliarum virtutum. *Tertius*, cum Deus propter se diligitur super omnia, non solum illi vel graviter vel leviter displicentia, sed etiam Deo minus grata et accepta; ita ut homo sic Deum diligens semper eligat id, quod judicat esse gratius et acceptius Deo: hic charitatis gradus est etiam *gradus perfectionis summus*; non tamen cadit sub præceptum, sed dumtaxat sub consilium. Primum etiam et infimum charitatis appetitive perfectæ habere aliquos intensionis gradus, plerisque persuasum est, cum is sine aliquo voluntatis conatu sibi proportionato esse non posse, merito videatur.

ARTICULUS II.

QUODNAM SIT OBJECTUM MATERIALE CHARITATIS THEOLOGICÆ?

280. *Nota.* Juxta S. Th. hic q. 23. a. 2. in 0. *Per amicitiam aliquid amatur dupliciter; uno modo sicut ipse amicus, ad quem amicitiam habemus, et cui bona volumus: alio modo sicut bonum, quod amico volumus.* Ex hoc sequitur, duplex etiam statui objectum materiale charitatis; primum est id, cui bonum volumus; quod etiam vocatur *directum*, quia secundum se diligitur: secundum est id, quod alicui volumus; quod etiam vocatur *indirectum*, quia secundum esse relativum, quod ad aliud habet, diligitur. Prius continet duntaxat personas et entia intellectu seu ratione prædita, utpote ad quæ sola potest terminari amicitia; et de hoc unice in præsens agimus: posterius complectitur res quascumque sive supernaturales sive naturales, excepto solo peccato; quia præter hoc reliqua omnia possunt pertinere ad bonum amici, et in gloriam divinam referri.

281. *Dico I.* Objectum materiale charitatis theologicæ est Deus et proximus: ille quidem primum; iste vero secundarium.

Prob. 1^a. p. Christus Matth. 22. 37. ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota mente tua: hoc est maximum et primum mandatum: secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum* ergo uterque non tantum est objectum materiale, sed et ille primum, iste secundarium.

Conf. Objectum materiale charitatis theologicæ est id, quod diligi potest ac debet amore amicitiae; quia actus charitatis primum est amor amicitiae: sed Deus et proximus potest ac debet diligi amore amicitiae, ut liquet ex Scriptura sacra; ergo.

Prob. 2^a. p. Caritas theologica simpliciter dicitur caritas Dei, ad Rom. 5. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis:* sed talis dicitur non tam a Deo velut principio, quam ab eo ut objecto charitatis, juxta illud Aug. L. de Spiritu et lit. c. 32. n. 56. *Caritas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris; non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos;* ergo.

Conf. Ut quis simpliciter diligatur ex charitate theologica tanquam amicus, necesse est, ut in eo relucent divina bonitas, utpote objectum charitatis formale, et ut sit capax beatitudinis, in ejus scilicet communicatione præcipue fundatur amor charitatis; adeoque objectum materiale principaliter est, in quo præstantiore modo divina bonitas elucet et habetur beatitudinis participatio: sed utrumque præstantissimo modo convenit Deo, qui per essentiam est bonitas divina, et per se beatissimus; ergo.

Prob. 3^a. p. 1. Joan. 4. 12. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est;* adeoque et proximus est objectum materiale charitatis theologicæ: sed Deus, non vero proximus, ex dictis, est objectum primum; ergo proximus erit saltem secundarium objectum charitatis.

Conf. Objectum charitatis secundarium partim dicitur illud, in quo tan-

tum minus principaliter et per participationem divina bonitas relucet, et beatitudinis ratio habetur; partim illud quod est quid pertinens ad illum, quocum primario et per se amicitia contrahitur: sed proximus per participationem est consors bonitatis ac beatitudinis divinæ, et spectat multiplici titulo ad Deum; ergo.

282. *Dico II.* Nomine *proximi* hic intelligitur omnis creatura rationalis re aut spe beata, h. e. quæ æternam beatitudinem vel actu est consecuta, vel saltem consequi potest, ac est in via ad ipsam.

Prob. Quia hujusmodi creatura rationalis pertinet ad Deum, qui primario diligitur ut amicus; et in communicatione beatitudinis præcipue fundatur amicitia Deum inter et hominem intercedens. Inter proximos autem diligendos præter Christum ut hominem connumerantur 1^o. Angeli boni, qui, juxta S. Aug. L. 1. de Doct. Chr. c. 30. n. 33. quia nobis multa et magna beneficia præstant, proximi nostri, secundum Christi expositionem Luc. 10. datam, habendi sunt: 2^o. Animæ beatorum in cælo: 3^o. Animæ defunctorum in purgatorio detentæ: 4^o. Quilibet homo viator, etiam peccator et reprobis: e contra vero excluduntur angeli mali et homines damnati; utpote quorum *priores* vel reipsa beatitudinem obtinent, quam illis favere, et secundum externam gloriam etiam augere possumus; vel spem beatitudinis certam habent, aut eam necdum omnem amiserunt; aut saltem absolute capaces sunt: cum e contra *posteriores* prorsus incapaces sint beatitudinis, et quorumvis honorum supernaturalium.

283. *Dico III.* Homo quilibet etiam relate ad seipsum pertinet ad objectum secundarium charitatis.

Prob. Verbis Christi, *diliges proximum sicut teipsum*, jubemur nosmetipsos propter Deum amare, ut Aug. L. 1. de Doct. Chr. c. 26. ait: *Cum dictum est, diliges proximum tuum tanquam teipsum, simul et tui abs te dilectio non prætermittitur est:* et mensura amandi proximum statuitur caritas sui ipsius; ergo quilibet relate etiam ad seipsum est objectum materiale charitatis: non primum; ergo secundarium: unde idem L. 3. de Doct. Chr. c. 10. n. 16. ait: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum.* Idem cum S. Th. q. 23. a. 4. Theologi omnes docent.

Conf. Etiam in nobis relucent bonitas divina, et beatitudinis divinæ capaces sumus: præterea quilibet sibi ipsi proximus dici potest, juxta illud: *Proximus egomet mihi:* denique quamvis caritas non sit amor amicitiae, nisi quando est amor alterius; tamen nec homini deest amor amicitiae quidam erga se, quantum ad hominem interiorem, ut S. Th. 2. 2. q. 23. a. 3. in 0. explicat: nec stricta ejus significatio deest ex defectu, sed ex excessu; cum, loco unionis animarum ad amicitiam requisitæ, sit ipsa unitas, quæ, sicut in numeris, ita in amore est radix et principium, ut ibid. a. 4. S. Doctor declarat.

284. *Observa.* Ordinem charitatis exhibet S. Aug. L. 1. de Doct. Chr. c. 27. *Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer astimator est: ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet; ne aut diligit quod non est diligen-*

dum, aut non diligit quod est diligendum, aut amplius diligit quod minus est diligendum, aut æque diligit quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est. Porro duplex considerandus est charitatis ordo; alter *subjectivus* respiciens personas, quibus bonum volumus: alter *objectivus* respiciens bona, quæ personis illis volumus. In priore ordine primum locum obtinet Deus, alterum cæteris paribus nos ipsi, postremum proximus: in posteriore bona spiritualia præponenda sunt corporalibus. Quoniam vero et inter proximos et inter utraque bona multiplex datur varietas, et non una comparatio institui potest, multiplicem etiam ordinem Theol. Mor. designat.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM FORMALE CHARITATIS THEOLOGICÆ?

283. *Nota.* Sicut *bonitas* est qua quid redditur amabile, sic eadem est motivum amoris: bonitatis vero nomine intelligitur perfectio; quia quo res est perfecta, eo etiam est bona; et quo est perfectior aut perfectissima, eo etiam melior et optima est. Porro bonitas, maxime Dei, considerari potest vel *absolute*, quatenus perficit ipsum subjectum illam possidens, v. g. Deum: vel *relative*, quatenus potest perficere alium, v. g. hominem amantem. Item vel *collectim* pro cumulo omnium perfectionum divinarum; quando singularis perfectio divina, v. g. misericordia, justitia etc. etiam seorsim per rationem ab aliis accipitur.

286. *Dico I.* Objectum formale charitatis theologicæ est bonitas Dei absoluta.

Prob. Objectum formale charitatis theologicæ quatuor conditiones præsertim exigit, 1^o. ut sit ratio formalis amandi Deum super omnia: 2^o. ut etiam sit ratio formalis amandi proximum sicut nos ipsos: 3^o. ut constituat charitatem in specie virtutis theologicæ: 4^o. ut distinguat charitatem ab alia virtute theologica. Conditiones hæc omnes conveniunt bonitati Dei absolutæ; nam 1^o. Deus per eam est summe et super omnia bonus, propter eandem quoque est summe et super omnia amabilis: 2^o. licet bonitas Dei absoluta sit nobis set proximo extrinseca, tamen sicut credimus ob auctoritatem Dei loquentis objecto materiali extrinsecam, sic et ob extrinsecam bonitatem amare possumus; et proximum quidem ut filium, amicum, domesticum Dei, aut tanquam aliquid ad illum pertinens diligimus, ob Deum propter suam bonitatem dilectum: 3^o. bonitas absoluta etiam constituit amorem in ratione virtutis theologicæ, cum sit aliquid intrinsece divinum ac ipse Deus: 4^o. bonitas specificat actum voluntatis, atque hinc amorem a *fide*, utpote actu intellectus, distinguit; generat amorem benevolentis, cum bonitas respectiva terminet amorem concupiscentiæ, qui *spei* est proprius.

287. *Dico II.* Etiam bonitas absoluta *singillatim* sumpta, seu quælibet perfectio divina seorsim accepta, est sufficiens objectum formale charitatis theologicæ.

Prob. Quælibet perfectio divina habet memoratas condiciones ad objectum formale; nam perfectio divina, propter quam Deus est amabilis et propter se et super omnia quæ non sunt Deus, est ratio formalis amandi Deum super omnia: sed propter quamlibet perfectionem divinam, etiam *seorsim* sumptam, Deus imprimis est amabilis propter se; quia quælibet perfectio ejusmodi supponitur Deo intrinseca et realiter identificata, ac ipse Deus: deinde etiam est amabilis super omnia quæ non sunt Deus; quia, cum quælibet perfectio divina rursus supponatur essentialiter infinita in suo genere, et Deum summe bonum formaliter constituens, etiam propter eandem Deus est infinite et super omnia amabilis.

Conf. Potest amari homo jam qua sapiens, jam qua misericors, jam qua virtute alia insignis; et amor ad hujusmodi motivum terminatus est verus amor benevolentis et amicitis; ergo et Deus amari potest propter quaslibet perfectiones, præsertim cum tanquam infinitæ majorem vim movendi habeant: et amor ejusmodi erit perfecta charitas theologica.

288. *Obj. cont.* 1^{um}. Juxta S. AUG. L. 1. Soliloq. c. 6. n. 13. *Charitas* (est) *qua videre perfriquir* (Deo) *desideremus*; et juxta D. THOM. 2. 2. q. 23. a. 4. in 9. *Charitas versatur circa bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum*; ergo charitas pro motivo habet bonitatem respectivam. *Conf.* 1. Amor charitatis continetur sub genere amoris ut sic latissime accepti: sed de ratione amoris, ut sic, est ferri in proprium bonum amantis. *Conf.* 2. Si sola bonitas Dei absoluta foret objectum formale, non possemus charitate theologica Deum diligere propter beneficia nobis collata, et se diligentibus promissa; ad quam tamen Deus ipse nos per beneficia sæpius excitat; ergo.

R. N. *Cons.* S. AUG. charitatem ibi vel *latius* sumit pro quolibet amore theologico sive benevolentis; vel si charitatem stricte ac proprie accipiat, solum vult per charitatem desiderari a nobis Dei conspectum, tanquam medium ad ardorem et constantiam in amore Dei propter se dilecti, præsertim quia ibidem virtutem in constantia seu permanentia fidei, spei et charitatis collocat. D. TH. per illud, *in quantum*, non intendit significare rationem formalem amandi, sed conditionem, sine qua Deus non posset amari amore amicitis, et sic amore perfectæ charitatis. Cæterum beatitudo etiam nostra amari potest ut aliquid Deo bonum et redundans in gloriam Dei, ad quam tanquam ad *finem cui* ultimum nos ipsos referimus.

Ad Conf. 1^{am}. D. M. De ratione amoris, *ut sic*, est ferri in bonum amantis proprium proprietate quadam dominii, seu ita ut ipsum amantem faciat formaliter bonum N. proprietate quadam proportionis et habitudinis, seu ita ut amans ipsum honeste amare et velle possit vel sibi vel alteri C.

Ad Conf. 2^{am}. D. SEQ. M. Non possumus charitate theologica Deum diligere propter beneficia, tanquam propter motivum immediatum et intrinsecum charitatis *qua talis* C. tanquam propter motivum mediatum et extrinsecum N. Sicut motiva credibilitatis sunt tantum ratio remota et extrinseca actus fidei divinæ, auctoritas vero Dei revelantis est ratio motiva proxima et intrinseca, sic et beneficia divina, quibus inducimur ad bonitatem Dei cognoscendam et amandam, sunt remota et extrinseca duntaxat motiva ratio

actus charitatis, qui proxime et intrinsece ad bonitatem Dei absolutam terminatur.

Inst. Bonitas Dei non facit nos aut proximum bonum; ergo non potest esse ratio sufficiens nos aut proximum amandi, cum nihil diligatur nisi bonum.

R. N. Cons. Licet enim bonitas Dei non faciat proximum *formaliter* ac *intrinsece* bonum, dicit tamen quamdam ad illum habitudinem, ut ipse actu vel potentia consors est naturæ divinæ ac beatitudinis; atque secundum hanc habitudinem charitas theologica invenit in bonitate Dei rationem sufficientem amandi proximum, quamvis ille nullam in se bonitatem, sed maximam potius malitiam habeat, ut in peccatoribus accidit.

Ad Rat. D. Nihil diligitur ut finis vel medium ad finem, nisi bonum *C.* nihil diligitur ut amicus *subd.* si diligitur ut amicus primarius *C.* ut amicus secundarius *N.* Qui ut amicus *primarius* diligitur, ut per charitatem diligitur Deus, non potest propter alienam bonitatem diligi; cum sicut bonitas proprium subjectum facit primario bonum, ita et primario amabile: qui vero ut amicus *secundarius* diligitur, ut per charitatem diligitur proximus, non habet necesse, ut sit bonus *in se*, sed sufficit quod ita terminet habitudinem bonitatis alienæ, quæ propria est amico primario, ut eam vel actu participet, vel participare possit; quæ ratio amici secundarii stat in eo, quod ametur ut conjunctus vel conjungibilis cum amico primario per participationem bonorum primario amico propriorum.

289. *Obj. cont. 2^{um}.* Objectum formale charitatis est ipse Deus ut summum ac perfectissimum bonum, et juxta *D. Tu.* ut objectum visionis beatificæ dicit cumulum omnium perfectionum; ergo. *Conf.* Omnis actus charitatis est actus perfectissimus; ergo debet procedere ex motivo perfectissimo: sed motivum perfectissimum sunt perfectiones Dei *simul* sumptæ; ergo.

R. Ad Arg. quoad 1^{um}. D. M. Objectum formale charitatis quoad habitum *C.* quoad actum *subd.* est ipse Deus et summum ac perfectissimum bonum formaliter in omni genere boni et perfectionis *N.* saltem formaliter in aliquo perfectionis et bonitatis genere *C.* Habitus charitatis infusus habet se per modum *potentiæ*, adeoque debet se extendere ad omnem perfectionem, propter quam Deus potest diligi: actus autem charitatis dependet a libera determinatione voluntatis in eligendo ac præfigendo sibi motivo ad amorem Dei propter se super omnia sufficiente, quod, ex dictis, potest esse quælibet perfectio divina formaliter in uno tantum genere infinita. Quoad *2^{um}. D. M.* Objectum charitatis est Deus ut objectum visionis beatificæ hoc sensu, quod omnes perfectiones, quæ sunt objectum visionis, per actum charitatis quævis attingantur *N.* hoc sensu, quod omnis illa perfectio, quæ videtur, possit esse objectum formale, et singulæ sufficienter movere possint ad amandum Deum super omnia *C.* *Disparitas* inter visionem intuitivam et cognitionem abstractivam charitati prælucentem aliunde nota ostendit, fieri non posse adæquatam comparationem inter utriusque objectum.

Ad Conf. R. D. M. Est actus perfectissimus ex suo genere et modo tendendi generico *C.* in suo genere et sua specie *N.* Quatenus quilibet actus charitatis diligit Deum propter se seu bonitatem absolutam sine respectu ad propriam amantis cupiditatem, et super omnia ac referendo ipsum etiam

amantem ad Deum, habet genus ac modum tendendi perfectissimum: inter actus tamen sic ex suo genere perfectissimos sicut alius alio intensive est perfectior, ita etiam potest esse perfectior extensive, quatenus scilicet ad plures vel pauciores perfectiones Dei unus præ altero extenditur.

CAPUT II.

DE NECESSITATE CHARITATIS.

ARTICULUS I.

AN OMNIS ACTUS HUMANUS, NE PECCATUM SIT, DEBEAT ESSE EX CHARITATE ELICITUS?

290. *Nota I.* Inter charitatem et vitiosam cupiditatem non dari *medium*, ideoque actum a charitate non elicatum oriri ex prava cupiditate, præter Lutherum et Calvinum statuunt *Baius*, cujus hæc est propositio inter illas a Pio V., Greg. XIII. et Urbano VIII. damnatas 38.: *Omnis amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, qua a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur; Jansenius* qui L. 5. de Gr. Chr. c. 6., ubi rationem universalem ex principiis S. Augustini reddere conatur, cur omnes virtutes quidam sint affectus dilectionis Dei, ita inquit: *Non agnoscit sanctissimus Doctor in universis operibus suis nisi duos amores Creatoris et creature, ex quorum alterutro necesse est, ut quæcumque actio voluntatis oriatur: ille charitas est, iste cupiditas; quarum illa de cælo est Deo plantante, ista ex mundo diabolo seminante; quocum consonat Jansenianorum propositio inter 31. ab Alex. VIII. damnatas 7.: Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est; Quesnellus* cujus propositio 44. inter centum et unam a Clem. XI. damnatas ita enuntiat: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus.*

291. *Nota II.* Circa principium hoc a *Novatoribus* statutum movetur quæstio prima juris, an nempe verum sit; et altera facti, in quonam sensu illud fuerit ab istis assertum. Ratione *prioris* observandum est, charitatem non tantum accipi stricte et proprie ac pro amore Dei benevolo et mere gratuito hætenus a nobis exposito, sed maxime a S. Aug. etiam frequenter usurpari minus stricte ac minus proprie, pro amore quocumque recto, bona voluntate vel amore boni; ut patet ex *Comment.* in Psal. 9. n. 13. ad illa